

contrario continget in damnatis, qui speciales pœnas habebunt, baptizati, sacerdotes, etc.

XXII. In fine commentarii hujus articuli disputat Suarez an character sit qualitas, quæ intendi et remitti possit. Et Vazquez capite quinto, in fine inquit, quod hæc quæstio est frivola. Et certe nullius momenti est, quia character est qualitas causata a Deo per sacramentum; et cum sacramenta, quæ characterem causant, non sint iterabilia, constat quod character non est qualitas intensibilis, quia intensio qualitatum fit per actionem causativam repetitam. Nec est ratio quare magis vel magis intensa detur hæc qualitas in uno, quam in alio, si quidem non datur ad mensuram dispositionis recipientis, ut supra dictum est. Et non loquimur de characterem ordinis, si est idem per omnes gradus, et receptus in primo gradu intendatur per subsequentes, quia ista disputatio non est hujus loci, sed habet sedem in propria materia, ut ipse Suarez fatetur. Nec per multiplicationem actuum potest excogitari talis intensio, cum tamquam a causa instrumentali a characterem orientur. Imo in habitibus supernaturalibus augmentum non causatur ex actibus, nisi solum dispositivè; effective autem a Deo infundente illos; quod non potest contingere in characterem, quia deberet esse illud augmentum a Deo per sacramenta iterata, per quæ illum primo causavit.

ARTICULUS VI.

Utrum per omnia sacramenta novæ legis imprimatur character?

I. Unica conclusione respondet D. Thomas in corpore. Per tria tantum sacramenta character impri-

mitur, scilicet per baptismum, confirmationem et ordinem.

II. Quia plura de materia hujus articuli dicta sunt supra in hac quæstione in expositione articuli I et articuli II, dubio II, breviter litteram hujus articuli explicabimus.

III. Conclusio ut ponitur a D. Thoma est de fide, definita locis citatis in articulo primo, ex Concilio Florentino et Tridentino, etc. Et probatur a D. Thoma duplici ratione. Prima, in argumento Sed contra, sic: Sacramenta in quibus imprimitur character non iterantur, sed quædam sacramenta iterantur, ut patet de pœnitentia et matrimonio: ergo non omnia sacramenta imprimunt characterem. Major est definita in Conciliis citatis: minor est per se nota ex usu Ecclesiæ; et consequentia patet ex majori. Hæc ratio probat solum ex parte conclusionem, scilicet, quod non omnia sacramenta imprimunt characterem.

IV. Secunda ratio est in corpore. Pro cujus explicatione advertendum est, quod quia conclusio est exponibilis propter ly tantum, debet exponi per affirmativam et negativam. Affirmativa est: Per tria sacramenta character imprimitur: negativa est: Per nullum aliud sacramentum imprimitur character. Utraque propositio probatur ex eodem principio, hac ratione in corpore: Character est potentia per quam fideles deputantur ad divinum cultum: ergo ad agendum, vel patiendum. Antecedens ex supra dictis patet in tota hac quæstione. Consequentia probatur, quia nulla potentia est, quæ non sit activa vel passiva. Ulterius: Sed hæc tria sacramenta in conclusione ordinant hominem ad agendum vel recipiendum: ergo imprimunt characterem. Consequentia patet ex antecedenti: minor vero probatur: Ad

agentes pertinet sacramentum ordinis, quia per hoc sacramentum deputantur homines ad conficiendum eucharistiæ sacramentum per consecrationem, et tradendum illud, et alia sacramenta aliis, quod totum pertinet ad genus agentis.

V. Per modum vero recipientis ordinatur ad divinum cultum baptismus et confirmatio. Baptismus quidem, quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia sacramenta Ecclesiæ, quod est satis notum, quia in non baptizato alia sacramenta nec valide, nec licite suscipiuntur: unde dicitur janua omnium sacramentorum. Similiter confirmationis sacramentum ordinatur ad recipienda alia sacramenta, et etiam instituit fidelem habitualiter ut ministrum ad profitendam fidem coram tyrannis, et sic petebat imprimere characterem, qui ex natura sua constituit subiectum capax aliorum sacramentorum, et potens fortiter confiteri fidem; utrumque enim habere, supra explicatum est in hac quæstione, art. II, dub. II.

VI. Negativa vero propositio probatur sic: Alia quatuor sacramenta non ordinant hominem ad divinum cultum per modum agentis vel patientis: ergo nullum illorum imprimitur characterem. Consequentia patet ex illo principio, quod character est potentia, et solum potest esse activa vel passiva; et sicut de tribus sacramentis probatur bene quod imprimant characterem, quia ordinant per modum agentis vel patientis; ita a contrario sensu bene probatur de aliis quatuor quod non imprimant characterem, si non habent ordinare per modum agentis vel patientis, quia ubi affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis.

VII. Antecedens vero probat D. Thomas de eucharistia, quia tripli-

citer pertinet aliquod sacramentum ad divinum cultum, uno modo per modum ipsius actionis, et hoc modo pertinet eucharistia, in qua principaliter divinus cultus consistit, in quantum est Ecclesiæ sacrificium: ergo per hoc sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud ulterius agendum vel recipiendum in sacramentis. Antecedens est certum. Consequentia probatur, quia potius est finis et consummatio omnium sacramentorum: et propterea, quia in seipso continet Christum, in quo non erat character, sed tota sacerdotii plenitudo.

VIII. Potest aliter probari (quod forsitan solum est explicatio) quia actio est media inter agentem et recipientem illam, unde supponit constitutam potentiam agentis, et etiam supponit potentiam passivam in recipiente; et sic hoc sacramentum supponit quidem characterem sacerdotis tamquam agentis, et baptizati tamquam recipientis; in se autem non habet ubi possit causare characterem, quia in se solum habet Christum, qui non potest illum habere. Et cum de novo non ordinet sacerdotem conficientem ipsum ad agendum aliud, quia ministratio est actio consecuta ad consecrationem, et illi annexa ex vi ejusdem potestatis, in sacerdote non potest alium characterem causare; nec etiam in recipiente, quia non ordinat recipientem ipsum ad recipiendum aliud, et sic non causat distinctum characterem in eo, præter illum quem supponit.

IX. Nec contra hoc est, quod eucharistia, ut viaticum, præcedit unctionem per se, et sic ordinat ad recipiendam illam, quia hæc non est perseitas essentialis de qua loquimur: potest enim sine eucharistia recipi unctio licite et valide, ut sæpius in moribundo; et etiam post unctionem potest recipi eucha-

ristia aliquando; quod tamen non contingit respectu baptismi.

X. De pœnitentia probat D. Thomas, quia per pœnitentiam homo liberatur a peccato, et nihil aliud de novo confertur, quod pertineat ad cultum divinum. De aliis duobus sacramentis non probat D. Thomas, nec mentionem facit (scilicet de matrimonio et unctione) forsitan quia de illis non erat ratio dubitandi, quia manifestum est quod matrimonium non dat potestatem ad aliquid spirituale, cum solum det potestatem conjugii super corpus alterius conjugis. Et de unctione etiam constat, quod per illam homo non ordinatur ad aliquid ulterius agendum, vel recipiendum in Ecclesia militante, cum potius sit janua egrediendi ex illa, sicut baptismus est janua ingrediendi.

XI. Contra rationem istam possunt fieri aliquæ objectiones. Prima contra discursum et probationem propositionis affirmativæ; falsum enim videtur illud principium, quod sufficit disponere hominem per modum agentis vel recipientis ut imprimatur character; habet enim duas instantias. Prima est de circumcisione, quæ erat janua sacramentorum veteris legis, sicut modo baptismus (et idem est de sacramento, quod loco circumcisionis dabatur feminis) unde sicut modo per baptismum homo ordinatur ad recipienda alia sacramenta novæ legis, ita tunc per circumcisionem, per quam etiam fidelis ab infideli distinguebatur, et tamen per circumcisionem non imprimebatur character: ergo hæc ratio non probat de baptismo.

XII. Secunda instantia est de ecclesia, patena et calice consecratis, cujus consecratio est participatio sacerdotii Christi, et perpetua, sicut character, ut habet D. Thomas articulo præcedenti, et tamen talis

consecratio fit sine aliquo characterem impresso illis; ergo etiam consecratio sacerdotis et baptizati, per quam homines deputantur ad consecrandum vel recipiendum sacramentum, potest fieri sine characterem; quia etiam corpus Christi, et sanguis recipitur in calice, et etiam talis consecratio initerabilis est sine characterem: ergo etiam possent hæc sacramenta esse non iterabilia sine impressione characteris, per quod impugnatur simul primo ratio D. Thomæ in argumento Sed contra.

XIII. Secunda objectio est quantum ad propositionem negativam, et est petita ex D. Thoma in primo argumento, quia per omnia sacramenta homo ordinatur ad cultum Dei, et totus cultus Dei est participatio sacerdotii Christi: ergo quodlibet sacramentum disponit homines ad aliquid agendum vel recipiendum in ordine ad cultum Dei: per pœnitentiam enim recipit homo absolutionem a sacerdote per claves Ecclesiæ, quibus per confessionem peccatorum homo se subjicit. Idem est de unctione; et matrimonium spiritualiter conjungit fideles, non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter, et secundum hoc est representativum et figurativum conjunctionis Christi cum Ecclesia, et in matrimonio Deus colitur. Et denique in eucharistia est maximus cultus Dei, et præcipuus; falso ergo dicitur, quod hæc quatuor sacramenta non pertinent ad cultum Dei, ut excludantur ab impressione characteris.

XIV. Respondeo ad primam objectionem, quantum ad primam instantiam de circumcisione, Scutum in iv, dist. vi, quæst. ix, tenuisse per circumcisionem imprimi characterem in lege antiqua; in quo singulariter sentit, et ab universa schola theologorum dissentit. Et D. Thomas in hac quæstione supra

art. i ad tertium, reddit rationem, quare circumcisio non causabat characterem, scilicet: « Quia sacramenta veteris legis non habebant in se spiritualem virtutem ad aliquem spiritualem effectum operantem. » Quam rationem amplectuntur generaliter scholastici. Ex quo patet ad objectionem, circumcissionem non parificari in omnibus cum baptismo; differt enim, quia non continebat virtutem intrinsecam ad causandum, nec erat instrumentum nisi pure morale, et sic non poterat causare characterem spiritualem in anima.

XV. Et ad illud quod dicitur, quod erat janua sacramentorum veteris legis, respondetur quod imprimebat circumcisio carnale signaculum, juxta naturam illius carnalis populi, ut loquitur Apostolus Rom. iv, et ad Hebr. ix vetera sacramenta vocat: *Justitias carnis*. Et ideo Chrysostomus hom. ii in epistola ad Ephesios dicit, quod: « Israelitæ obsignati sunt circumcissione, quemadmodum pecudes. » Nec aliquid convincit, quod disponentur ad alia sacramenta recipienda, quia cum recipienda essent pure extrinseca, sufficiebat solum signo exteriori deputari ad illa recipienda; sicut etiam in feminis fiebat deputatio per suum sacramentum exterius.

XVI. Ad secundam instantiam respondetur, quod aliter recipitur sanguis in calice, et in patena corpus, et in ecclesia totum sacrificium, quam in homine fidei recipitur totum hoc. Illa enim inanimata sunt, et ut instrumenta inanimata operantur; homo vero est instrumentum animatum; et non solum corpore, sed anima operatur in sacramentis, et in illa debet recipere effectum illorum; et sic in anima ponitur intrinsece consecratio, per quam deputetur ad talia

sacramenta, et hoc fit per spiritualem characterem, quamvis de potentia absoluta posset fieri oppositum, et quod manerent non iterabilia hæc sacramenta; sicut etiam in calice et ecclesia manet consecratio non iterabilis sine characterem per solam deputationem extrinsecam, adjuncta voluntate Dei, quæ est ratio a priori in his rebus, tamen tunc non esset tam perfecto modo et decenti, ac convenienti naturis rerum sicut nunc.

XVII. Ad tertiam objectionem abundanter satisfacit D. Thomas hic ad primum, concedendo: « Quod per omnia sacramenta sit homo particeps sacerdotii Christi, utpote recipiens aliquem effectum ejus, » quia omnia sacramenta sunt effectus sacerdotii Christi, et omnia sacramenta recipiuntur in illo, et etiam effectus communis omnibus, qui est gratia, per quam homines constituuntur ad cultum divinum digne exercendum: « Non tamen per omnia sacramenta aliquis deputatur ad agendum aliquid vel recipiendum, quod quidem exigitur ad hoc ut sacramentum characterem imprimat. »

XVIII. Et pœnitentia non ordinat ad agendum vel recipiendum aliud sacramentum, præter ipsam, sed solum ad ponendum hominem in gratia, licet ex hoc sequatur quod digne recipiat eucharistiam, et digne et meritorie colat Deum per actus omnium virtutum, quarum tamen operatio non est sacramentalis. De unctione clarius constat nihil sacramentaliter operari infirmum post illam. Et matrimonium etiam non ordinat ad aliquid sacramentaliter operandum, et ideo solum secundo et consequenter ordinat ad cultum Dei, quod est generale omnibus sacramentis non imprimantibus characterem. De eucharistia jam dixit D. Thomas, et

explicatum est in ratione, quod pertinet ad cultum Dei per modum actionis, quæ in se ipsa continet Christum, in quo non est character, et solum petit in agente characterem sacerdotii, et in patiente characterem baptismi. Et hæc de hac quæstione et materia.

XIX. Duæ quæstiones sequentes, quæ requirebantur ad complementum hujus materiæ, fuerunt omisæ; quod tamen in sequenti principaliter disputatur, jam præhabetur, quia duplex est punctum principaliter. Primum, de modo causandi

gratiam in Christo et in ministris, et de hoc disputatum est in hac quæstione LXIII, articulo II, dubio II et III; et quæstione LXII præcedenti, articulo I, dubio VII et deinceps; et quæstione LXI, art. III. Aliud punctum est de dispositione ad recipiendum sacramenta ut recipiatur gratia, et secundum quam mensuratur gratia recipienda. De quo expresse disputatum est supra quæst. LXII, art. I, dubio III et IV; altera vero quæstio, quæ est LXV, et agit de numero sacramentorum, parum habet de disputatione scholastica.

DE EUCHARISTIA.

ORDO DOCTRINÆ, ET TEXTUS S. THOMÆ.

I. Aggreditur S. Thomas ab ista quæstione LXXIII, usque ad octogesimam tertiam, tractatum de sacramento eucharistiæ; de qua materia late agunt doctores in IV, dist. VIII; patres variis tractatibus; Dionysius cap. III de ecclesiastica hierarchia; Ambrosius lib. III, de sacramentis; Augustinus tractatus XXVI in Joannem; Damascenus libro IV fidei, cap. IV; agunt etiam Concilia, ut Florentinum in instructione Armenorum, Tridentinum sess. XIII, Senonense in decreto decimo et alia provincialia Concilia. Agunt etiam contra hæreticos tam antiquos quam recentiores, Paschasius, Lanfrancus, Algerus in tomo quarto bibliothecæ patrum; et ex recentioribus Lindanus, Ossius, Driedo, Bellarminus, et alii.

II. S. Thomas totam materiam absolvit undecim quæstionibus, in quibus ordine maxime scientifico totam considerationem eucharistiæ in septem partes dividit. In prima agit de ipsa eucharistia in communi, de ejus necessitate et institutione quantum ad quæstionem an est, et quid est, in hac quæstione LXXIII:

in secunda parte agit de ejus materia, tam remota, quæ est panis et vinum; quam proxima, quæ sunt species consecratæ, per quatuor quæstiones sequentes: in tertia parte agit de forma hujus sacramenti quæstione LXXVIII: in quarta de ejus effectibus, quæstione LXXIX: in quinta de suscipientibus hoc sacramentum et ejus usu, per duas quæstiones sequentes: in sexta de ministro hujus sacramenti quæstione LXXXII: in septima et ultima de ritu et celebratione hujus sacramenti, quod pertinet ad rationem sacrificii. Nos similiter totam materiam septem disputationibus absolvemus. Prima, de quidditate, necessitate et institutione hujus sacramenti: secunda, de materia remota, ex qua hoc sacramentum conficitur: tertia, de materia proxima, scilicet de speciebus consecratis, et transsubstantiatione: quarta, de his quæ consequuntur conversionem, et existentiam Christi in sacramento: quinta, de effectu hujus sacramenti: sexta, de suscipientibus et ministro: septima, de sacrificio et celebratione missæ.